



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

De Advocato, & procuratore Reorum in S. Officio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

vocatum Fiscalem. *Simancha de Cathol. instit. 53. de Promot. Fiscali.*

9. Debet is esse vir probus, industrius, diligens, fidei zelator & Juris-peritus. *Simanch. l. c.* præcipuè vero verus esse debet in delictorum ad S. Officium spectantium, & eorum poenis, ac Bullarum Apostolicarum in materiis hujus Tribunalis editarum cognitione, *Tapia in Jure regn. Neapol. l. 2. de Offic. Advocat. num. 13.*

10. Officium Advocati Fiscalis est 1. porrigere accusationes contra Hæreticos post assumptas in Summario Judicio contra eos informationes. 2. Tueri debet pro viribus jurisdictionem S. Officii. 3. Dicta testium exquirere, libros denuntiationum revolvere, processus contra reos scrutari ac instare, ut iidem carceribus mancipentur, poenisque debitis mulcentur. 4. Instare coram Inquisitoribus, ut edicta fidei promulgentur sæpius. *Carena de Offic. Inquisit. p. 1. tit. 9. §. 4.*

*De Advocato, & Procuratore Reorum in sancto Officio.*

11. Solet in Tribunalibus S. Officii constitui



constitui unus Advocatus, & unus Procurator Reorum. Hi debent esse viri de Hæresi non suspecti, fidei zelatores, probi, in utroque Jure bene versati.

12. Uterque debet I. juramentum præstare de secreto observando, & de Reo bene ac fideliter defendendo. II. Debet Advocatus omni conatu contendere, ut reum ad veritatem faciendam inducat, & si cognoscat causam rei esse injustam, eam omnino deserere. III. Tueri debet reum legitimis tantummodo modis. IV. Brevis esse debet in allegationibus Juris. V. Post munus suum expletum debet Processum sibi ab Inquirente consignatum S. Officio re-consignare.

13. Advocati compelli possunt ab Inquirentibus ad patrocinandum, & si rei pauperes sint, tenentur gratis patrocinari, si vero sint opulenti, ex bonis illorum salaria illis præstari debent. *C. vena de offic. Inquis. p. I. tit. 10.*

Hæc quæ de Advocato dicta sunt, intelligenda quoque sunt de Procuratore.